C

DE POTENTILLA. CAP. CCXXXVI.

NOMINA.

Potentilla. Tanacetum syluestre.

NVLLO nomine Græci & Latini hanc herbam appellarint, à nullo, quod sciam, adhuc proditum est. Recentiores herbarij Potentillam, aliqui ob similitudinē Agrimoniam & Tanacetum syluestre nuncupant. Germani, quod herba illa anseres in cibo delectentur, Genserich uocant.

FORMA.

Herba Eupatorio, quod Agrimoniam hodie uocant, haud dissimilis. Caules ex una radice multos profert, humi stratos. Folia Eupatorio similia, supernè uiridia, infernè candicantia. Flores luteos singulari pediculo pendentes. Radicē extrinsecus rufescentem, intus candidam.

LOCVS.

Nascitur passim circa semitas & loca aquosa, atque in fluuiorum ripis ac marginibus.

TEMPVS.

Æstate floret, quo etiam tempore legi debet.

TEMPERAMENTVM.

Quum folia eius & radix adstringant, temperamento à Pentaphyllo seu Quinquefolio nihil differre uidetur. Quare hæc, potissimum autem eius radix, ex tertio ordine desiccatoria est, minimumq; euidentis caliditatis habet. Errant itaq; mirum in modum recentiores, qui hanc humidam esse statuunt, nulla alia moti ratione quàm quod in humidis locis proueniat: quasi uerò Nasturtium aquaticum, quod Sisymbrium cardamine Dioscoridi uocatur, haud obstante quod in aquosis nascitur, non etiam in tertio desiccet ordine. Debuisset certè illos ab hac sententia deterrere non leuis illa adstrictio, quę certissimus est siccitatis index: adstringentia enim, Galeno libro quarto de simpli. medicament. facult. capite sexto teste, terrena sunt & crassa corporis consistentia, atqueadeo sicca.

Potentilla nō est humida.

D

VIRES.

Recentiores Potentillā fluxionibus & puncturis oculorū prodesse, recentia uulnera glutinare, & exedentia sanare, mulierū menstrua cōpescere, artus & membra cōfirmare, rectè tradunt: nam idipsum posse, adstrictio, quæ in hac herba haud modica est, abundè docet. Et cum habeat Quinquefolij temperamentū, eius etiam facultates obtineat necesse est. Dentiū itaq; dolorē finit. Exedentia oris ulcera sanat. Dysentericis & alui profluuijs, coxendicis articulorumq; doloribus subuenit. Sanguinis eruptiones sistit, aliaq; potest quæ à Dioscoride Quinquefolio tribuuntur. Quod uerò adijciunt hanc etiā lumbricos exterminare posse, id minus rectè faciūt. Ea siquidem facultas non huic, sed illi inest herbæ quæ uerè Tanacetū dicitur, quæ quidem est tertia, ut suo diximus loco, Artemisiæ species. Proinde non sine magno errore, Potentillam cum ea quæ propriè Tanacetum uocatur herba confuderunt.

Herbarij Potentillam cum Tanaceto confuderūt.

DE PRV-



PRVNELLA